



PRÆFATIO

AD

LECTOREM.



Libri hujus fama citius, ac forsân oportebat fieri, auctore nescio quo, est divulgata, multaque passim de illo in utramque partem sunt dicta, quibus quî cum vero conveniat, jam ipsemet tandem è tenebris eluctatus, ac publici juris factus palàm loquitur. Prodit is in lucem totus ferè talis, qualem invenimus ab Authoris morte, cujus vitam ulteriorem & manum desiderabat eò magis, quòd ab illo multum adhuc perfectionis & augmenti sperare potuisset, præsertim ex illis scriptis, quæ plurima, ab Authore in hunc finem per annos multos congesta

PRÆFATIO AD LECTOREM.

gesta post ejus mortem ex magna parte sunt deperdita. Ex
his certè tempestatis atque aëris mutationum observationi-
bus, quas ad continuos quadraginta annos in subsidium Astro-
logiæ Naturalis Author, vel per se vel per alios habuit ad-
notatas, neque apicem ab illius morte fuit reperire, jacturâ in-
estimabilis hujus thesauri resarciendâ impendio non alio, nisi
totidem denuo annorum labore. Ea autem, quæ ad nostras
manus pervenerunt, in quatuor Partes divisa hoc Opus Cri-
ticum constituunt. Prima Pars complectitur Crisin Artificij
Geographici, sive methodum Chartas Geographicas exactif-
simè, & quàm fieri potest, Globo maximè conformes de-
lineandi. Quamvis enim agatur super hoc ipso argumento
in Geographia Artificiali, ea tamen, quæ ibi toto ferè libro
passim dispersa pertractantur, hîc in synopsis contracta &
brevius ac magis dilucidè methodum illam proponunt, ejus-
que insignem præ quovis alio Chartas delineandi modo præ-
stantiam liquidò demonstrant. Altera Pars dicitur Crisis Hi-
storica, non, quòd universam Geographiæ Historiam hîc
tractare sit animus, sed quòd illa eximium reconditæ Histo-
riæ Geographiæ selectum contineat. Tertia Pars est Crisis
Technica, sive de Instrumentis Geographicis, quæ tamen
nec ipsa promiscuè examinat Instrumenta quælibet, quorum
Geographo aliquis est usus; sed unius Planisphærij, Instru-
mentorum Geographicorum præcipui, fabricam docet, ejus-
que usum compluribus Problematis illustrat. His demum
tribus Partibus Quarta adijcitur, quæ est Crisis Astrolo-
gica, versaturque circa Judiciariam & Naturalem Astro-
logiam. Atque hæc, ut antè memini, præcipuè adhuc
Authoris manum implorabat: sed & sic, quomodocun-
que elaboratam, oportebat publici juris fieri, ne scientia
Astrolo-

Astrolo-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Astrologica & naturâ suâ, & plurimis aliâs additis figmentis obscurissima careret tali luce, qualem sanè copiosam hoc Opus affundit, tam ex clarissimo rationum apparatu desumptam, quàm ab ipsa Authoris valde diuturnâ & maximè accuratâ experienciâ plurimùm roboratam. Porrò nomen **CRITICA** toti huic operi præfixum, ne id cuiquam aliud, quàm ipsum velit, significet, in Proœmio Authoris ad hujus libri initium posito abundè explicatur.

* * *



IDEA

PARS II